



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Controversiae Ecclesiastico-Historicae**

**Casteel, Gerard**

**Coloniae Agrippinae, 1734**

**VD18 10739254**

Controversia XL. De Motivo conversionis sancti Brunonis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68244](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68244)



# CONTROVERSIA XL.

D E

## *Motivo conversionis sancti Brunonis.*

**S**anctus Bruno Coloniae Ubiorum ex  
praecleara stirpe progenitus, studio-  
rum causa Lutetiam Parisiorum  
missus, tantum in Philosophia ac  
Theologia profecerat; ut in utraque  
Facultate Magistri ac Doctoris munus conse-  
cutus sit. Deinde, in Ecclesia Rhemensis  
Canonicatum adeptus, nominis sui famam;  
ob doctrinae non minus, quam virtutis  
excellentiam quaquaversum diffudit. Elap-  
sis autem aliquot annis, mundi hujus im-  
mundi fastidians illecebras, apprehendens  
que verissimum esse illud Senecae in Hypolyt.

*Non alia magis est libera & vitio ca-  
rens*

*Risusque melius, vita, qua priscos  
colas,*

*Quam qua relictis moenibus sylvas a-  
mas.*

Cuncta peritura respiciens asperrimos mon-  
tes Carthusianos, quos vocant in Diocesi  
Gratianopolitana, assumptis quibusdam so-  
ciis ascendit; ibidemque Ordinis sui rigi-  
dissimi fundamenta jaciens, factus in illa re-

ligiosa solitudine quidam novus Paradisi co-  
lonus, soli Deo vacavit.

Hujus tam heroicae resolutionis & insoliti  
recessus occasionem multi volunt praebuisse,  
quod illis diebus factum narratur, de quo-  
dam Raymundo Diocres, Doctore Theo-  
logo in celeberrima Academia Parisiensi;  
qui probatae aetatis, ut videbatur, vitae; post-  
quam cum quadam fama sanctitatis diem ex-  
tremum obiisset, & ritu Catholico defun-  
ctus in Ecclesiam deportatus fuisset, dum  
mortuorum, ut vocantur, Vigiliae pro a-  
nimae refrigerio a praesentibus Clericis per-  
solverentur; atque ad illa verba primae Le-  
ctionis in Nocturno secundo perventum es-  
set. *Responde mihi quantas habeo iniquita-  
tes &c.* in feretro elevatus, atrisena voce  
dixit se esse accusatum. Deinde addidit, se  
esse judicatum. Postremo, se esse condem-  
natum, cunctis praeter horrore stupentibus,  
palam effatus est. Quo tremendo spectaculo  
Bruno sumoperè percussus, & per-  
cussus in vastissimam illam solitudinem  
secessit, ibidem in summa austeritate Ju-  
dicem



dicem benignum reliquo vitæ tempore deprecaturus.

Quantumcunque hujus, ut refertur ingentis prodigii veritas ævo vacillare cœperit nostro, atque in rem creperam abierit: ut veram tamen Historiam admittunt & tuentur ex Recentioribus Joannes Columbi Soc. Jesu, *Dissert. contra Joan. Launoy*. Theophilus Raynaudus in *antemural. advers. ingenia fortia*. Polycarpus Carthusianus; & Carthusianorum Generalis Innocentius Massonius in libro, hujus sæculi initio divulgato *Lib. 1.* non diffiretur quidem hanc Historiam à multis in dubium vocari; multas tamen sibi causas esse asserit, cur credat non ipsam Historiam; sed quasdam duntaxat circumstantias esse confictas. Nituntur autem tum hi, tum mediocrius Scriptores hisce potissimum argumentis non usquequaque sperendis.

I. Antiquissima, multisque sæculis inconcussa viguit in Ordine Carthusiensi traditio illa, quod S. Bruno occasione hujus terrificæ anastasis mundo renuntians Ordinem hunc instituerit; quod vetustissimæ in Monasteriis primordialibus tabulæ, etiamnum reservatæ, exhibent. Atque de eo in omnium matrice, Carthusia majori authenticè constare inquirentibus rescripsit ejusdem loci Prior, eoque titulo Ordinis Generalis, quem admodum refert Sebastianus à S. Paulo, Ordinis Carmelitarum Veteris Instituti in Belgio quondam Provincialis, adversus Papebrochium calamum stringens. Præterea citatus Massonius provocat ad eandem Carthusiæ majoris constantem traditionem, quæ hîc eo fit memorabilior; quia Ordini per se nulla necessitas incumbit ad gloriam suam aut commodum tale quid fingendi. Est autem certissima peritorum regula: quod, cæteris paribus, promptior, majorque fides sit adhibenda Scriptori de re domestica, quàm alteri de re extranea.

II. Non solum domestici; sed insuper

authoritate & pluralitate pollentes Polygraphi ante aliquot sæcula Historiæ veritatem suo calculo contestati sunt: adeoque moderni quidam Pantocritici hanc aut negare, aut in dubium vocare immeritò præsumunt. Quod autem ab iisdem prætenditur; Joannem Gersonem primò hujus meminisse Historiæ, falsitatis convincitur: quandoquidem certò constat sæculo XIV. aut in fine XIII. fuisse vulgatam ex MSS. codicibus optimæ notæ Wilhelmi de Erbuta, seu de Hyporegia ex Ordine Prædicatorum Carthusiani circa Annum Domini 1313. Henrici de Calcaria Prioris Carthusiæ Colontensis, qui eodem sæculo XIV. scripsit. Extat eadem Historia in Chronico Prioris Magnæ Carthusiæ, qui circa annum 1303. vixit. Alterius insuper Carthusiani De Merya, Anno Dom. 1298. confecto Chronico; demum antiquissimi cujusdam Anonymi, qui Anno D. 1150. id est annis quadraginta novem post mortem S. Brunonis factum consignavit. Atque ex his aliisque bene multis vetuliorum Scriptorum testimoniis itrefragabilibus satis evincitur, verè contigisse, quod perperam alii inficiantur. Posset insuper veritas hujus miraculi eo argumento corroborari, quo eam non ita pridem vir spectatissimus tuetur: nimirum quod hujus tragediæ memoria illuminatæ cuidam personæ de nonneminis statu spiritali sollicitæ subito & divinitus fuerit renovata; horrore omnes artus & membra ex ejusdem representatione occupante.

Non pauci interim modernorum Litteratorum, qui perspicacius facta rimantur traditionibus innixa; & ut Plautus in *Aulularia* scribit, in occipitio quoque habent oculos, de eo quod præfertur motivo, cur S. Bruno sæculo renuntiaverit, non exiguum suis argumentis Lectori injiciunt scrupulum. Et quidem Joannes de Launoy factum rejicit in *Dissertatione*. Negat quoque Papebrochius, explodit Fleurius Academia Parisiensis Jubat.



bar. Joannes Mabillonius, quod de Doctore Parienti refertur; fallum aut ad minimum dubium esse affirmat. Aditipulantur Galli Scriptores moderni plerique, quorum rationes sunt.

I. S. Bruno in quadam Epistola ad Rauldum de Verd Præpositum Ecclesiæ Rhemenfis, sibi olim familiarem, excitat illum ad implendum Religionis votum, quod aliquando una secum fecerat, hisque eidem refertur verbis. *Reminiscetur Dilectio tua; quod, cum ego & tu, & Fulius monoculus quadam die simul fuisset in hortulo adiacente domui Ade, ubi tunc hospitabatur, de falsis oblectationibus & periculis mundi hujus divitiis aliquando tractavimus. Unde divino amore ferventes promissimus & votum Spiritui sancto proxime fugitiva secularia relinquere, & æterna capere; nec non monachi habitum recipere, &c.* Nil hic, nil alibi sanctus ille Anachoreta injicit, quod tam opportunè inculcatum fuisset ad impletionem voti, ejusque celerem executionem incitamentum, de accusato, judicato, condemnato Doctore Theologo. Mutùm præ cæteris valebit hic Abbatis Nogenfis Guitberti testimonium; qui vitam S. Brunonis perquam diligenter conscripsit; ac inibi observat, quæ occasione sanctus ille mundo valedixerit. Quia nimirum Manasses Archi-Episcopatum Limoniacè obtinuerat; & Ecclesiam Rhemensem militibus stipatus cum summae totius Cleri Populique Rhemenfis scandalo violenter invaserat. De alio motivo prorsus non meminit; relaturus utique, si de eo rumor qualiscunque difflatus fuisset, qui inter parietes domesticos contineri nequaquam potuisset. Audiendus quoque venit Petrus Venerabilis, Ord. Cluniac. Abbas Generalis *Lib. 2 de mirac. sui temp. 28.* Ubi tradit Carthusianorum Ordinem rigidissimum fuisse institutum ex horrore, quem Bruno conceperat, videns quemadmodum plerique religiosorum negligentes & repidi,

minus conformiter suo instituto viverent. Ast de prodigio prætenso planè nihil, quod minimè præterinisset; qui in Præfatione ejusdem libri secundi proficitur, quod nullius generis miracula præterire vellet: sed sicut olim didicerat, vel quotidie à diversis fide dignis acceperat, sese scripturæ velle commendare. Quis autem id persuasione sibi imbuat, hunc Scriptorem; qui obiit Anno 1157. adeoque annis 56. post Brunonem, hac fama miraculi tam grandis, & totâ saltem Galliâ diffusâ, afflatum non fuisse?

Priori sententiæ adhærentes facillè reponent, huic nihil obesse argumentum negativum, Joanni de Launoy, aliisque quibusdam Criticis tam familiare: Atque ab Eruditis dudum explosum. Veruntamen fateri debebunt, hujusmodi argumenti genus, quod quidem non semper ac ubique constringit; remque non factam probat: quando tamen disquiritur de re valde notabili, secundùm famam ante sæcula gesta, quam eorundem temporum Scriptores, quotquot fuerunt, prætermiserunt, qui tamen hujusmodi alia & minoris notæ tradere soliti fuerunt; magnum famæ adferre præjudicium, illudque silentium rem reddere de falsitate suspectam. Quod quidem in præsentiarum eo majoris erit ponderis; quando Sigebertus Gemblacensis S. Brunonis coævus, utpote qui circiter decem annis post illius mortem è vita discessit, ad Annum Christi 1084. scribit. *Bruno in vasta eremo qua Carthusia vocatur, monasterium & cellas edificare instituit.* Sic legitur in vetustissimis Codicibus MSS. uti & in editione Francofurtensi. Nequaquam autem hic Chronologus illud inauditum alias omisisset prodigium, occasione cujus Bruno sese in eremo tam vasta abdiderat; cum alia passim referat exigui momenti & memoratæ vix digna. Præterea Monachus S. Mariani D'Auxerre in suo Chronico, quod Antissiodori scrip-



At, in Gallia, ad Annum 1082. hæc habet. *Lirca id tempus Hugo Gratianopolitanus videt per somnium septem stellas. Et ecce sanctitatis ejus odore tracti ad ipsum veniunt septem viri. Primus Magister Bruno vir religione scientiaque famosissimus, quatuor litterati, duo Laici, quos sanctus Hugo gratanter recepit. Ipso namque juvante Carthusia solitudinem introverunt. Sic cepit Ordo Carthusiensis.* An ignorasse censendus est Scriptor, quod ignorare non potuit? An resciens silentio Anastasin suppressit? Latuisse pariter oportebit Adamum Historiographum, quando in libro, cui titulus. *Flores Historiarum*, Gregorio IX. P. M. dedicato, hæc duntaxat observat. *Anno Henrici 28. Bruno ex urbe Colonia Rhemensis Canonicus, relicto saculo eremum Carthusia fundavit.* Vincentius Belluacensis suo tempore celebris etiam in Gallia, & ut Trithemius, fortè hinc in prædicando nimius, asserit, *Tantus, ut post se necdum habuerit parem.* *Specul. Hist. Lib. 26. cap. 82.* Originem Ordinis Carthusiensis refert. Quod si illa tempestate vel minimus fuisset rumor de condemnato Doctore Parisiensi, suis utique inferuisset Scriptis, in quibus alias fabulamenta non pauca accuratioribus deprehendunt, de quo judicat *Canus loc. com. Lib. 11.* quod non tam dederit operam, ut res veras certasque describeret, quam, ne nihil præteriret omnino, quod scriptum in schedulis quibuslibet reperiretur.

Extant insuper in Gallia multorum antiquorum Scriptorum Chronica, hæcenus inedita, quæ testibus Authoribus citatis, de eadem Origine Carthusiensium meminerunt, haud quaquam de illo motivo conversionis Fundatoris. Mirum etiam videri posset, quod Guilielmus de Nangis, quem Baronius vocat Mangius, Antonius Possevinus Nannius, monachus Sanc-Dionysianus in Chronico, quod à Mundi exordio usque ad sua tempora, id est, annum 1301. deduxit,

nullam decantati miraculi memoriam fecerit, qui alias quamplurima, fidem excedentia, congescit. Plerique, qui postea Historias scripserunt, hanc omiserunt, cujus nulla mentio in Annalibus à Joanne D'Avanches, licet referant Brunonem Teutonicum Carthusiensem maximè arduam disciplinam instituisse. Neque inter Historias Joannis de S. Victore, quæ Lutetiæ Parisiorum in Bibliotheca Can. Reg. conservantur, quidquam est videre. Non legitur in magno Chronico Flandriæ, Fasciculo temporum editionis recentioris, (nam in prima 1474, & secunda 1419. utraque Colonienfi editione extat Historia Magistræ excitati à morte.) cujus Author Wernerus Rolevinck Carthusianus Colonienfis, aut in Supplemento Chronicorum Jacobi Philippi de Foresta Bergomensis Authoris multiloqui, neque in Chronico Joannis Lascardi Cælestini Parisiensis, neque in Historia Gallicana amplè conscripta à Roberto Gaguini Regio Bibliothecario, & Ordinis Ss. Trinitatis Generalis neque in Historia Francica Pauli Emilii Veronensis, Canonici Parisiensis, qui tamen omnes de exoriente, & per S. Brunonem fundato Ordine Carthusiano verba faciunt, Trithemius, à pluribus notatus michologus, in Chronico suo Hirsaugiensi observat ad annum 1086. quod eo cœperit Ordo Carthusianorum, quando S. Hugo Episcopus Gratianopolitanus vidit per somnium septem stellas &c. præteritum tamen non adducit motivum. Si Mautiacenus, Papyrio Massonio giudice, Ordinis Carthusiensis originem accuratissimè descripserit; in eo valde notabiliter ejus accuratio desideratur, quod prætermiserit, qua ratione Fundator Ordinis saculum & Canonicatum reliquerit, terrefactus prodigio hæcenus non viso. Saufagus, tot, tantarumque Compilerator fabularum, ut ejus editum Martyrologium plastrum mendaciorum à quibusdam sit nuncupa-



cupatum; ne verbum quidem de redivo Doctore injicit, quanquam S. Brunonem laudet ob vitæ institutum. Cardinalis Baro-  
nius *Annal. ad Ann. Christ. 2086.* scribit. *Carthusia solitudo habitari cepit; nec ibi, nec ad ann. 1092.* ubi Carthusianorum meminit, mentionem de resurgente quodam Doctore ingerit, à prodigiis referendis ceterum non alienus. Magnus ille Chronologus, æque ac Historicus nunquam sine Præfatione honoris nominandus Dionysius Petavius, qui in *Rat. temp. Lib. 9. cap. 19.* observat, quod Carthusianum Ordo à Brunone cepit sit Anno 1086. & adjuvante Hugone Gratianopolitano institutus, quorum exordia describit Petrus Cluniacensis, necnon Guibertus Abbas Noviogenus, qui S. Brunoni æqualis fuit: neque tamen Canonici illius Parisiensis recordati sunt, qui post obitum redivivus adstantes terruisset.

II. Juxta ritum Ecclesiæ Gallicanæ in Vigiliis Defunctorum, neque lectæ sunt, neque habentur Lectiones illæ. *Responde mihi Ec. Romano Breviario inserta.* Ergo fictitium est, quod refertur, quali ad ista verba defunctus responderit de sui accusatione, sententia & damnatione. Quod aliqui nar- rant in continenti; alii inter triduum distin- ctum contigit. Et quia de ejusdem rei rela- tione non omnium una est assertio; & nihilo- minus una sit veritas: an verum sit quod sic narratur, merito in dubium vocatur; illud- que inde augeri videtur, dum præsentia Hi- storia in nullo Breviario Parisiensis reperitur: quæ aliquando in Romano exitit Breviario ad instantiam Sorbonicorum Doctorum, jussu Urbani VIII. P. M. fuit evulsa. In Operi- bus quidem S. Brunonis, quæ Parisiis im- pressa fuerunt apud Josephum Badius, Historia conversionis & Anastasis, incisis, tunc licet Minerva, imaginibus exhibetur: non tamen in alia eorundem Operum Edi- tione seu veteri, seu nova videtur præ-  
fixa.

Huic pariter argumento nihil omnino tri- bendum censent, quibus mens illa de mo- tivo S. Brunonis ex prodigio inest. Quan- tumcumque enim, dicunt illi, omisso, adje- ctivè quarundam circumstantiarum factum in narratione variet: quando tamen aliunde de eodem satis constat quoad suum princi- pale, hujusmodi variatio illud de falsitate neutiquam reddit suspectum. Vix enim ulla legitur Historia sacra vel profana, verus aut recens, quæ si à divertis tradatur, in suis circumstantiis non sit varia; ut apparebit pervolventi Acta Sanctorum. Imo in ipsis Sacris Paginis, de quibus aut dubium aut falsi suspicio minima formari nefas est, appa- rent circumstantiæ & antilogiæ haud facili negotio conciliandæ. Quod igitur ad re- sponsum ad verba Lectionis, quæ in Romano, non item in Parisiensis Breviario extat, spectat; uti & interpolationem tri- dui; quæque sunt hujusmodi; negant iidem Authores officere veritati Historiæ; quæ dum jussu Pontificis Urbani VIII. ad Sor- bonæ instantiam ex Romano Breviario fuit expuncta, non illico falsa declarata est. Po- tuit enim sapientissimus Papa aliis motivis in- duci, ut persuasum haberet, magis expedi- ens esse, si in correctione, seu revisione Breviarii eadem omitteretur; quam si in pu- blico Officio demerps legeretur; licet monu- mentum esset in se utile, Divinæque Provi- dentiæ non indignum. Quam pariter sortem aliis Historiis, minime creperis, obvenisse liquet; de quarum tamen ex eo capite, ne- mo prudens dubitabit veritate. Ita illi, qui Raymundum Dioces Doctorem sua con- fessione damnatum credere credique volunt; quorum tamen enervare argumenta nitun- tur de inanitate narrationis persuasi.

Ad Primum Respondetur. Fabulosa tra- ditionis communiter officinam redolent, quæ ex incerta & obscura fama prodiverunt, qua- lia reputari debent, qua de Damnato redivi-  
va



vo Doctore narrantur. Quantumcunque in Ordine Carthusiano fuerit vulgaris & antiqua Historia: non tamen de genere illarum censenda, quibus subesse falsum nequit. Quare omnino sublestæ sunt fidei, quæ in ditquisitionem veniunt. Solemne est Historicis posteriorum sæculorum multa narrare prodigia, quæ ex rumore provenerunt. Expectentiâ etiam constat plurima populari ad nos pervenisse traditione, à credulis recepta; quæ postea ritè discussa, commenta sunt reperta. *Talis est conditio falsitatis, vel erroris, ut etiam nullo sibi assistente consenescat ac desinat.* ait S. Chrytoll. in *Matth.* Visuntur quidem in diversis Carthusianorum domibus picturæ, quæ portentum illud exhibent, quo commotus eorum sanctus Patriarcha sæculum reliquisset: qualis etiam pictura Parisiis in Sacello sancti Juliani, quod nigrum vocant, spectatur apud templum Beate Mariæ Virginis: at hoc nonnisi ducentis annis post obitum S. Brunonis fuit ædificatum: quare tum hæc, tum aliæ imagines, Anastasin exhibentes, vix unum alterumvè sæculum excedunt. Et si veruliores etiam forent, parum adjumenti ad rei evictionem adferrent; siquidem

*Pictoribus atque Poëtis  
Qualibet audendi semper fuit aqua  
potestas.*

Quot non olim repertæ fuerunt imagines tum Joannæ præsentæ Papiæ, tum aliorum hominum, qui aut nunquam in rerum natura fuerunt, aut certè alii, quàm penicillo præsentati? Debile itaque præsidium in picturis quaeritur. præsertim, dum alia pictoriis argumentis validiora Anastasin convincentia non desunt testimonia.

Ad Secundùm Responderetur. Multa à multis referuntur, quæ potius admiratione quàm fide digna sunt, Et, ut rectè P. *Emilius Lib. 1. Plerique Scriptores ad portenta*

*prodenda inclinant.* Credulæ utique mentis oportebit esse illum, qui fidem suam indifferenter accommodet Veterum quorumcunque relationibus. Illi, qui scripserunt de vivo Doctore, postquam obiisset, de grege eorum sunt, qui, sæculo potissimum decimo quarto & sequenti, quibuscunque fermè figmentorum portentis aures præbebant: eaque undequaque congesta in suos libros infarciverunt, quæ apta erant sanctum quendam timorem de stricto Dei judicio peccatoribus incutere, parum interim de veritate; quæ anima Historiarum dici debet, curantes. Et sanè hac in re Doctissimi cujuspiam Carthusiani qualiscunque autoritas fidem, apud Eruditos magis, quàm circumspectos conciliasse videtur. Licet interim testimonium domesticum non usque adeo hic reputari debeat suspectum: quandoquidem Canonici illius, quæ præfertur damnatio, sanctissimo Carthusianorum Ordini neque laudem, neque utilitatem ullam adferat, aut aliquam conciliare possit prærogativam: proinde supra adducta pene coævorum testimonia incorrupta nec Launoius nec alius quispiam cervicosus infringere possit. Hæc Launoiano argumento negativo ut ut ampliato mole sua præponderant, ostenduntque, duobus ante Gerlonem sæculis Domesticis sincerissimis testimoniis creditam & vulgatam Anostaseos Historiam, Porro quæ in hac Controversia exercitationis & eruendæ veritatis gratiâ ex aliorum potissimum doliis deprompta sunt; absit ut in alumnorum religiosissimorum Ordinis sacerrimi præjudicium vergant, constantem apud ipsos traditionem convellant, eorumve æstimationem labefactent. Qui apud P. Columbum rem gestam perhibent Sæcul. XII. & XIII. explorata fidei Scriptores; esto hinc inde immisceant Historiæ circumstantias quasdam agrè sibi cohærentes, nequaquam tamen ideo sunt posthabendi. *Si necesse est* ( utor verbis Quintil,



Quintil. Lib. 10. cap. 1.) in alteram peccare partem, omnia eorum probari legentibus, quam multa reprobari malo. Sed neque opinio his contraria, in aliorum silentio fundata, majori propterea probabilitate afficitur. Ac licet neutra de falsitate vel veritate certitudinem sibi vindicare poterit: earum

equidem propugnantes utrimque persuasum habent, quod sua alteri prævaleat.

*Veritas ipsa penes sese vincit, opinio apud alios.*

*Epictetus apud Stob.*



Ppp

CON-